

**Oratio ex Harveii instituto habita in theatro Collegii Regalis Medicorum
Londinensis, Octob. 19, M.DCC.XCVI. / a Gulielmo Saunders.**

Contributors

Saunders, William, 1743-1817.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Londini : Typis Jacobi Phillips & filii, 1797.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/s3fcqkca>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

15.

ORATIO
EX HARVEII INSTITUTO
HABITA IN THEATRO
COLLEGII REGALIS
MEDICORUM LONDINENSIS,


OCTOB. 19, M.DCC.XCVI.

A GULIELMO SAUNDERS, M. D.

COLL. REGAL. MED. LOND.

ET

REG. SOCIET. SOC.



^c LONDINI.

TYPIS JACOBI PHILLIPS & FILII.

M.DCC.XCVII.

ORATIO

IN HARVEYI INSTITUTO

IN THEATRO

COLLEGI REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIS

ORATIO A. H. B. M. D. C. L. X. V.

A. G. L. M. D. C. L. X. V. M. D.

ORATIO A. H. B. M. D. C. L. X. V.

THE COLLEGE

LONDON

JOHN JACOBUS HENRIUS & FILII

MDCCCXXV

VIRO EXIMIO

THOMÆ GISBORNE, M.D.

PRÆSIDI DIGNISSIMO,

SOCIISQUE ORNATISSIMIS,

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIS

HANC ORATIONEM

ILLORUM HORTATU EDITAM,

EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA

D. D. D.

GULIELMUS SAUNDERS.

VIRI EXIMI

THOMAS GIBBONS, M.D.

PRÆSIDI DIGNISSIMO

SOCIETATE GRINATISSIMA

COLLEGIIS REBUS

REBIBENDIS LONDINENSIS

HABERE ORATIONEM

ILLORUM HORTATU EDITAM

LA QUATRE-VEINGT-UN

B. D. D.

CULTUS SACRILE

ORATIO HARVEIANA.

SI de viris illustribus dignè loqui æquè esset facile atque eorum Exempla respicere et venerari, orator vester tot doctissimorum judicum acumen minùs hodiè formidaret, neque huic muneri obeundo omninò impar sibi videretur. At rem longè aliter esse sentio; nec invitus fatebor, five majorum merita animo revolvam, five in memoriam revocem varias Orationes, in illorum honorem, annis superioribus habitas, quarum benè multæ, publici juris factæ, nihil non scitè et ingeniosè cogitatum, nihil

non nitidè, eleganter, et facundè dictum, exhibent; five tandem oculos flectam ad vos, quos ingenii acumen, plurima doctrina, et politioris literaturæ ampla supellex nobilitant; non invitus, inquam, fatebor, parùm abesse, quin me pœniteat, quod hæc rostra conscenderim, tantis nominibus, et vestræ expectationi, haud dignè satis, præ tenuitate ingenii mei, facturus. Illud tamen animum mihi labantem erigit, quod, cùm huic operi non me spontè obtulerim, sed ut officio communi fungerer, Vos, Auditores humanissimi, quicquid vel a rustico ore proveniat, æqui bonique consulturos nihil dubitem.

QUAM sapienter ab HARVEIO institutum fuerit, ut hic solennis Academiæ nostræ confessus quotannis vocaretur, eâ mente, ut ob oculos ponerentur domestica et cognata virtutum exempla, pluribus dicere supervacaneum fore existimo. Ecquem enim fugiat, ut vitii, ad corrumpendas mentes, ita virtutis imagini, ad eas pulchrè informandas, magnam vim inesse?

NE autem vos diutiùs morer, Socii doctissimi, quis, inter illos qui à nobis celebrandi sunt, primas sibi vindicat, nisi ille, quem hoc Medicorum Collegium Parentem sibi esse et Conditozem gloriatur? LINACRUM dico, quem vel nominare non possum quin animis vestris magni et egregii viri effigies adumbretur.

NATUS est LINACRUS illis temporibus, cùm ignorantia hominibus incumberet. Artes tùm jacebant neglectæ et ingloriæ, literæ tenebris sepultæ. Error ubique grassabatur, hominesque ab ejus tyrannide adeò non se liberare conabantur, ut catenas ipsas amplecti viderentur.

QUAM porrò egregiam indolem, quàm singulare ingenium à naturâ, donorum suorum licet parcissimâ, LINACRUM accepisse oportet! Qui, dùm maxima pars hominum modicâ, eâque dubiâ, doctrinâ contenti, innumeris cæteròquin erroribus se deludi quietè patiebantur, immensam veritatum seriem usquè latentem non suspicatus est modò, sed et sibi plenè manifestari optavit.

PRIMIS quidem bonarum artium rudimentis apud Oxoniam imbutus fuerat; hæc autem non satis erant ad sedandam doctrinæ sitim, quâ ipsius pectus indefinenter adurebatur. Quidni dicerem? Nec enim existimo, indè quidquam celeberrimæ illius Academiæ laudi detractum. Sat Patriæ dederas, Alma Oxonia, dùm felicissima, quæ in LINACRO recondita erant, optimarum frugum semina, in uberrimam segetem aliquando surrectura, foveras, coluerasque, et, quantum prima institutio finit, evolveras. Sat dederas ipsi LINACRO, dùm ipsum edocueras modum, quo bona à naturâ accepta augeret. Sat dederas et tibi, dùm, virum magnum fingendo, gloriæ jam tibi partæ futuris præluferas incrementis.

ERGO, ut animum scientiæ cupidissimum expleret, LINACRUS domum, propinquos, patriam deseruit, et Italiam, benignissimam, tùm temporis, bonarum artium altricem, petiit; ibique doctrinâ ex purissimo fonte derivatâ, divitiis auro potioribus onustus, in patriam redux, eam ditare festinavit.

JAM spectemus illum, adeò meritis insignem, ut HENRICI SEPTIMI quem inter suos sapientissimos reges annumerat Britannia, oculos attraxerit; utpote qui Arthurum suum, ei tam Præceptorum quàm Medico commissum voluerit. Est-ne ullum aliud hoc munere sanctius? Nullum, profectò, auditores. Ex eo enim tempore, Linacrus cum Augustissimo patre curas, imò et jura quodammodò dividebat. Ex eo tempore, illud grave ipsi incumberebat officium, ut et valetudinem principis tutaretur, et simul animum ejus informaret.

QUOD LINACRO sua merita in causa fuerint, ut ad tantos honores promoveretur, patebit ex more quo in illis ferendis se gessit. Quippe qui non alio consilio eâ, quâ plurimùm valebat apud Reges et Proceres, gratiâ usus fuerit, nisi, ut se patriæ utilissimum ac beneficentissimum, non dum viveret modò, sed et in futura sæcula præstaret.

ILLAM beneficentiæ laudem, vel hinc meretur LINACRUS, quòd duas Oxoniæ, unam et Cantabrigiæ, suis sumptibus,

bus, instituerit prælectiones, de scientiâ medicâ, quæ ipsi
 cordi potissimum erat. Verum altiora meditatus est,
 eaque perfecit, dum Medicorum Collegium, auctoritate
 Regis et supremi gentis Senatûs, instituendum curavit.
 En Academiæ incunabula nostræ! Palmarium institutum!
 Et quod in Auctore suo mentem benè præfagam, haud
 minùs quàm munificum animum arguit. Quot enim
 beneficia in uno! Hinc enim futurum erat, ut ars nostra,
 ad id tempus humilis et neglecta, sese erigeret et penitiùs
 excoleretur; ut peritissimorum collatis in commune con-
 siliis, adunatisque ingeniorum facibus, lux magna in scien-
 tiam medicam diffunderetur; veluti si quam terræ pla-
 gam, spissâ diù caligine immerfam, sol tandem vivifico et
 lætabili lumine collustret; ut suum esset Britanniae Medi-
 corum Seminarium, quod, maturantibus indiès præceptis
 et meditatione, optimos gigneret, toti orbi conspicuos;
 ut abigeretur illa malefuada cohors Empyricorum, qui,
 incautam multitudinem spe salutis deludentes, morbo-
 rum in homines desævientium turmæ (heu jam ingenti!)
 novam se pestem addiderant.

QUAM dulce tibi fuerit necesse est, Vir optime, hanc nascentem Rempublicam, à te conditam, felicibus incrementis proficientem conspicerè ! An mirer, si eam paterno foveris affectu ? Si omnem adhibueris curam, ne quid detrimenti pateretur ? Si domum tuam, ad ejus comitia celebranda, vivus commodaveris ; imò dederis, morti proximus ? Verbo dicam : si te totum, tuaque omnia impenderis, quò huic instituto accederet firmitas, et, quantum rerum humanarum finit conditio, perennitas præstaretur ? In his omnibus agnosco virum sapientissimi et utilissimi propositi tenacem, qui, cùm semel aliquid pro patriâ molitus fuerit, mentem suam non patitur mutari, nec porrò desistit, donec ultimam operi manum admo-
verit.

ÆQUUM fanè fuit, ut illa nova Respublica fasces suos LINACRO primùm assignaret ; hos autem ille per septennium obtinuit. “ Cùm enim,” ut ait oratorum princeps, CICERO, “ sit proprium munus magistratûs intelligere, “ se gerere personam civitatis, debereque ejus dignitatem
“ et

“ et decus sustinere, servare leges, ipsiusque jura fidei
 “ suæ commissâ meminisse;” quis plenius ea omnia, erga
 hanc novam civitatem præstare poterat, quàm ipse civi-
 tatis Conditor et Parens.

QUID, quàm literis Græcis et Latinis doctus fuerit
 LINACRUS, eloquar? Eloquatur potiùs acutissimus ille in
 re literariâ Judex, aliàs parcus laudator, ERASMUS. “ Est
 “ apud Britannos, inquit ille, vir undequàque doctissi-
 “ mus, THOMAS LINACRUS—multis annis elimatas lucu-
 “ brationes suas vicissim edit in lucem. Prodiit GA-
 “ LENUS, *περὶ τῶν υγιεινῶν*, tantâ fide, tantâ luce, tanto Ro-
 “ mani sermonis nitore redditus, ut nihil usquàm de-
 “ fideret lector Latinus; imò nihil non melius reperiat,
 “ quàm apud Græcos habeatur.” Omitto plura ejusdem
 testimonia. At unum me movet, cùm de scriptis LINACRI
 cogito, quod vix tacere possum, nec inutile dictu existi-
 mo. Quandoquidem animum adhibuit auctoribus Græcis
 reddendis, cur non sublimem Homerum, epici carminis pa-
 rentem, aut eloquentiæ fulminis potentem Demosthenem,
 aut

aut Anacreonta semper festivum, potiùs elegerit; cùm illi non parum oblectamenti musarum cultoribus afferant? Cur, Auditores? Quia nullum majus oblectamentum noverat LINACRUS, quàm communi utilitati fervire. Ità, semper sibi constans, semper beneficus, semper aliis vixit, non sibi; dignus porrò, cujus venerandam frontem non una tantùm laurus ambiat, cujus nomen decusque semper maneant, cujus dulcem memoriam grato semper animo foveamus.

Nullus fuisset dolori modus, nullum lenimen mœrori, ex desiderio viri ingenti virtutis laude conspicui, si totus discessisset, cùm invida mors illum è medio rapuit. At cineri superstes fuit ejus virtus; tantumque incitamenti præbuit ejus exemplum, ut, eo avulso, alter non defecerit aureus.

SIC LINACRUM proximè sequutus est CAIUS, ipsi amicitia conjunctus, atque ejus ingenii ditissimus hæres. Ea CAIO et LINACRO intercessit morum studiorumque et
B propensionum

propensionum consensio, quæ vix aliàs, ac ne vix quidem, cerni possit. Fuere in utroque idem discendi ardor, eadem vis cogitandi, par ingenii perspicuitas. Ambo, licet jam docti, ut doctrinæ abundantiorē copiam haurirent, solo mutato, exteris magistris se instituendos præbuerunt. Uterque mathematices peritus, in literis Græcis et Latinis versatissimus, scientiæ medicæ uterque amantissimus, adeò consentaneas et quasi cognatas mentes fortiti fuerant !

NEQUE illis tantum ingenii dotibus, quibus LINACRUS in orbe literario refulsit, sed et illâ beneficentissimâ voluntate, quâ nos sibi devinxit, ornatum se exhibuit CAIUS. Oxoniam suam novis doctrinæ fontibus irrigaverat LINACRUS ; suam et Cantabrigiam auxit CAIUS novâ litterarum prole, nunc ex nomine ejus conspicuâ. Fecerat LINACRUS, ut hæc nostra Respublica nasceretur ; fecit et CAIUS, ut suæ ipsi essent leges, sui honores, gentilitia insignia. Quin, et imminens ipsi exitium quo obrui potuisset, avertit. Medicastrorum enim hostiles adversus
illam

illam fregit impetus. Motas ipsi lites ille solus, instar agminis sustinuit ; et Collegii jura, quibus amissis jam nihil tutum ipsi esse poterat, tantâ eloquentiâ, tam valido argumentorum pondere propugnavit, ut judices in suam traxerit sententiam, ipsique certum asseruerit triumphum.

MEDICINÆ folio suo jam sedenti, cæteræ sociæ disciplinæ, et ancillantes artes adstare properarunt. Quanti fit momenti, ut vir medicus totam, quâ patet, Anatomiam probè calleat, et eam medicinæ partem, quæ manu curat, non ignoret, nunc ità in confesso est apud omnes, ut ullis rationum momentis palàm fieri non indigeat. Illud porrò jam noverant quotquot, LINACRI et CAII temporibus, civitate nostrâ donati fuerant ; atque ut, tot eximiis exemplis incitati, animos pulchræ laudis egentes et ipsi gestabant, non defuerunt, inter illos, qui Anatomix suum gymnasium, suum et Chirurgiæ, constituerent.

HANC laudem sibi pepererunt CALDWALDUS et GULSTONUS. Hic, dùm mortuorum corpora quotannis in nostro

Theatro incidenda procuravit, et pathologicas Lectiones liberaliter stabilivit; ille, dùm Chirurgicam illam cathedram, nobilissimum Baronem Lumleium gloriæ et beneficii confortem nactus, avibus optimis, fundavit, undè fidissimus naturæ interpres, omnium ejus arcanorum reconditissimum, nostræque arti utilissimum, ore magna sonanti, erat aliquandò enunciaturus.

HAUD me latet, Socii Doctissimi, magnum HARVEI nomen se jam ultrò animis vestris obtulisse: et sentio vos ægrè laturos, si in ejus laudes ire longiùs distulerim. At terret me virtutum splendor: terrent merita plurima et præclarissima: terret ipsa ad dicendum adeò ampla, exquisita adeò materies, ut sermonis vim penè superare ejusque copiam quasi inopem facere videatur.

Sanguinis circuitum detexit HARVEIUS!

DENT flores plenis manibus, et qui medendi artem profitentur, et quotquot humanam naturam, caducam sanè et fragilem,

fragilem, fortiti sunt, ut charissimam animam his saltèm accumulem donis! Enimverò, quantum laudis secum ferat nobilissimum illud inventum, vos præcipuè nostis, Socii Doctissimi, quos vestra edocet experientia, quàm ardua res sit naturæ secreta rimari; quantam laboris patientiam, quantam in investigando assiduitatem, in observando diligentiam, in experimentis faciendis peritiam et cautionem postulet! Videre mihi videor HARVEIUM in sui musæi penetralibus inclusum, tanquàm in altâ positum speculâ, nocturnas diurnasque excubias agentem, omnia circumspicientem, explorantem omnia, omnia animadvertentem, ut naturam latibulorum amantem, nec cupientem se videri, tandem aliquandò quasi furtim prodeuntem, rapidis quidem, at certis oculis, conspiceret.

SED quot et quantæ utilitates ex hoc uno invento fluxerint, quis verbis recensere sufficiat? Hinc novus homo in homine patuit. Cognito semel fluvii vitalis, per tot flexus et opaca viarum, cursu et recurso, faciliùs certiùsque innotuit ubi tristes ponant cubilia morbi, ubi
stabulent

stabant varia illa monstra, quæ humanos artus miserè exedunt ; et, ad ea depellenda, brevior securiorque via sese aperuit. Ex hâc, ut ità loquar, matre veritate, innumeram veritatum progeniem duci cernimus, ità ut Medicina, quæ antea non nisi timido et tardiori pede gradiebatur, firmo posthac et quasi gigantæo gradu incesse-
 cesserit. Sic Wartonus, glandulas ; Glissonus, hepar, ventriculum, et intestina ; Willisius, cerebrum et genus nervosum ; Lowerus, cor ; Croonius musculos ; sic, inquam, illi viri, omnes vestri, suâ quisque sagacitate multum valentes, at Harveiano Theoremate non parum adju-
 ti, varias illas œconomiae animalis vias, varia instru-
 menta dilucidârunt : contigitque, ut, intra unius nostræ gentis limites, uniusque ævi spatium, inventorum gloria penè superet quidquid unquam, ubi vis terrarum, in re medicâ detectum fuerat.

INGRATI autem esset animi, O Verende Senex, si tua in nos beneficia silentio premerem : illa tua immensa beneficia, quæ fidem penè superant, quæque aliter exprimere
 nequeo,

nequeo, nisi dicam pectus tuum totum in nos amorem fuisse. Tu nos paterno affectu complectens, res nostras opibus auxisti; ut essent, inter focios societas; inter fratres amor; inter ingenuos liberalia colloquia; inter cives dulce contubernium, hilaris convictus, amica necessitudo; tu non modò cænaculum exstruxisti, verùm etiam mensam apparâsti. Ut literatorum sedem literarum fluentia rigarent, tu Bibliothecam condidisti, libros non parcâ manu donasti, custodem honesto cum præmio assignasti. Ut sua essent domesticis virtutibus laudum præmia, mercedem, hoc festo die, orationi quotannis habendæ posuisti. Quasi verò hæc largæ munificentiae dona satis non essent, tu nos hæredes tuos scripsisti. Quin, et præoccupato mortis die, paterna tua bona, in tuorum confessu, tui planè oblitus, in manus præfidis resignasti. O me infelicem! O lugendam mihi meam dicendi mediocritatem! Me non potuisse tot et tanta amoris tui pignora dignè exprimere!

QUAMVIS HARVEIUS maximum sibi fecit nomen, quam-

vis

vis alii ex nostro Collegio benè multi, quibus facem prætulit, non mediocri laude inclaruerunt, in scrutandis evolvendisque Naturæ Animalis secretis, non eò tamen usque progressi sunt, ut nihil, etiam veri honoris, aliis reportandum relinquerent.

ATQUE hìc liceat obtemperare grati animi affectui in virum quo me magistro usum fuisse, nunquam non lætus recordabor. Fas sit paucis laudare GULIELMUM HUNTERUM, quem, etsi civitati vestræ, non tamen ordini alienum, HARVEIUS ipse sibi adjunctum cuperet, quòd et ille magni inventi, ad rem Medicam utilissimi, repertor extiterit. HUNTERO docente, didicimus, vasa lymphatica eadem esse, quæ absorbentia; eadem, quæ lactea, per totam corporis animalis machinam distributa; eaque, simul cum Thoracico ductu, efficere unum ingens absorptionis instrumentum, cujus ope, five ex cute, five ex intestinis, five ex aliis internis aut externis corporis partibus, colligitur quidquid in sanguinem elaborandum est aut cum illo miscendum. Hanc autem doctrinam, quam in libris

fuis

fuis copiosè illustravit nitidissimus ille Scriptor, quam multis etiamnùm superstitibus ore tradidit Professor disertissimus, non opinionis commentum, non subtiliùs excogitatæ hypothæsis figmentum, sed naturæ judicium esse, et doctorum suffragia, et experimentorum fides confirmârunt.

UT ad nostros revertatur oratio, tot se mihi offerunt viri, five benignâ in nos munificentia, five magnâ in rebus medicis peritiâ, five utroque nomine illustres, ut dolendum mihi sit eas esse temporis angustias, quæ singulos celebrare non finant, cùm tamen maximè ingratum sit vel unum tacere.

INCIDUNT tempora luctuosissima? Seditionum procellis totum regnum quatitur? Tyranni nutu reguntur omnia? Hæ nostræ Ædes sub hastâ ponuntur? En adest Hamæus, qui eas propriis sumptibus redimit. Oritur nova horrendissima clades? Incendia nullibi unquam sic indomita, per hanc reginam urbem longè latèque debacchantur? Fit

ingens domorum strages, Ædesque nostræ, vi ignis, solo æquantur? En adest iterum Hamæus; vir profectò, qualem rerum nostrarum conditio exposcebat; cujus beneficentissimum pectus nulla unquam vis calamitatum frangere valuit; quique fortunæ etiam crudelissima sua flagella quatienti obluētans, æris sui iterum profusus, medicinæ tecta ità reparat, ut ex ruinis ampliora surgant et honestiora.

Dùm civitatis nostræ res prostratas erigeret augeretque Hamæus, illi novum decus addebat THOMAS SYDENHAMUS. Addidit autem id, quod maximi est momenti, cognitionem rei medicæ ab experimentis derivatam. Quocircà totus in id incubuit, ut sedulò observaret, hinc, qui et quot sint prosperæ valetudinis hostes, quæ cuique prima facies, quot deindè formæ, quis nocendi modus; indè, quid natura, in suo cum morbis luctamine, aut patiatur aut agat; quandò sibi soli permittenda sit, quandò medicamentis adjuvanda; quid et quantùm opis requirat, quidve detrectet auxilii. Opus sanè difficultatis plenum, quòd et locus et ratio
illius

illius certaminis haud rarò lateant. Opus tamen, quod, ut strenuè suscepserat, ità feliciter absolvit. Testem adhibeo illam morborum historiam, quæ ex ejus calamo adeò accurata, adeò sincera prodiit, (in illâ enim ne errores quidem suos dissimulavit) ut, dùm illam legis, nescias, utrum in Authore, doctrinam an modestiam magis mireris; nihilque consultius Medicinæ Tyrones moneri possint, quàm ut illam nocturnâ manu versent, versent et diurnâ.

NEC oratione nostrâ indictus abibit RADCLIVIVS, quem ORDO noster, præstantissimum medicum, quem socium beneficum nostrum Collegium habuit. Universam medendi facultatem mente complexus est RADCLIVIVS. Quantâ autem cum dignitate, quantâ cum auctoritate, quantâ cum ægrotantium salute illam exercuerit, nemini non notum. An illum quis dixerit ad morbos profligandos leviter armatum, ad cujus præscripta, dira illorum cohors, quasi jussâ, fugiebat, quique ad tantam nominis celebritatem pervenerat, ut nemo ex quovis civium ordine, adversâ valetudine laborans, non se felicem crederet,

crederet, qui illum medicum adhibere potuerat, omnesque ejus consilia, quasi ipsius Divæ salutis responsa expeterent ?

MUNERIS sui ignarum se exhiberet HARVEIANUS Orator, si te tacitus præter veheretur, CLARISSIME FREINDE. Eccui enim potiori jure debetur, inter antecessorum nostrorum laudes egregium aliquid loci et gloriæ, quàm tibi, qui sedulò curaveris, ut hæc nostra solennia diù intermissa instaurarentur, quique summâ eruditione, in professione nostrâ exercendâ felicitate, plurimis scriptis, argumentorum gravitate haud minùs quàm varietate utilissimis, maximis demùm gestis honoribus, inclarueris ? Fuit tibi ingenium acre, excelsum, multiplex. Eâ ætate, quâ cæteri Tyrones esse solent, senioribus, tam Theoriæ, quàm Praxeos magister fuisti. Te Regia Societas in finum suum recepit, tum cum NEUTONUS, ille Physicorum princeps, ei præsidebat. Te Britannia inter Patres suos Conscriptos sedere voluit. Quem in tuis operibus scriptorem nitidum et elegantem, Græci Latinique sermonis, Chymia

Chymiaë et Matheſeôs peritiſſimum, literariis denique et philoſophicis opibus ornatiffimum, læti conſpicimus, eundem Te ſenatorem integerrimum, in magno oratorum numero nulli ſecundum, five quod ad politicam ſcientiam, five quod ad dicendi vim ac leporem attinet, noſtri cives olîm demirati ſunt. In omni re conſummatiffimum te exhibuiſti, ità ut quàm cunq̃ue tractaveris, ei ſoli animum te adjunxiſſe facile crederemus. Studia ſeveriora ita coluiſti, ut de levioribus vix cogitare ; adeò leviora, ut ſeveriora ſalutare potuiſſe videaris.

PRÆSTANTIBUS viris à me jam celebratis multos alios adjungere poſſem, ſi per tempus liceret eorum omnium laudes dicere, quibus debetur. Juvaret, non jejunam tantùm Meadi, Pelleti, Plumptræi, Garthii, Akenfidis, commemorationem hîc addere, ſed paucis faltèm exponere, quâ propriâ quiſque illorum laude, ſuo nomini decus conciliaverit nunquàm interiturum. Juvaret, veſtræ contemplationi objicere ipſam veſtram ſocietatem tot illuſtrium virorum prole felicem, ingenti dudùm gloriâ cumulatam,

latam, tantique ab omnibus habitam, ut et viri natalium splendore conspici de illâ benè mereri, et amplissimi Duces in illam cooptari, et nobilissimæ, etiam è regiâ stirpe, fœminæ in illam munera sua conferre, haud dubitaverint. Sed necesse est ut ad umbilicum perveniat oratio.

PRIUS tamen quàm finem dicendi faciam, hanc à vobis, amicissimi Collegæ, veniam mihi datam iri spero, ut mentionem injiciam viri illius optimi, qui summo nostræ civitatis magistratu nuperrimè se abdicavit, cùm per plures annos rebus nostris cum honore præfuisset. Quin fortasse ingratus esse, etiam vobis judicibus, viderer, si eum filerem, cui in primis illud acceptum referre debeo, quòd vester sim, quòd hæ fores mihi patuerint, quòd in tantâ tamque ornatissimâ doctorum virorum frequentiâ dicere, mihi concessum fuerit. Quàm dulce, quòd nullo nomine eum laudare possim, quin dicta fidem habeant ex luculentissimis argumentis! Si enim illum celebravero, ut in rebus philosophicis peritum; eum talem arguit illa

illa de affectibus animi et morbis indè oriundis, ab ipso, quadraginta jam abhinc annis, habita differtatio. Si, ut præstantem medicum; talem se exhibet, cùm in opere jam dicto, tùm in suo, de catarrho et dysenteriâ Londinensi, epidemicis utrisque, libello. Si, ut elegantiori et reconditiori literaturâ ornatissimum; hanc laudem ipsi vindicant certatim varia ejus scripta, et præsertim illa ejus HARVEIANA oratio, in quâ reperiuntur eæ omnes sermonis gratiæ et venustates, quæ, in optimis Romæ scriptoribus, lectorem alliciunt, et demulcent. Si demùm, ut Societati nostræ addictissimum ejusque jura diligenter et simul liberaliter tuentem; dictis nostris consonant suffragia vestra, quibus rerum nostrarum summam toties illi detulistis, atque adeò auream illam sobriè sapiendi legem, cui morem nunquam non gessit, gratam vos habere significastis.

NEQUE vero intrà Academiæ nostræ fines sese continuit ejus benevolentia, aut ejus in rebus medicis peritia iis tantùm saluti fuit, qui valetudinis suæ curam ipsi ultrò commiserunt. Utcunque sese obtulit hominum commodis

et

et utilitatibus inferviendi occasio, hanc studiosè amplexus est vir, quàm latè potuit beneficus. Incubuerat Damnonio morbus popularis, quem *Colicam Damnoniorum*, de loci nomine, dixerunt. Etsi jam prodierant nonnullæ de hoc morbo disquisitiones, multi tamen eo quotannis discruciabantur; non pauci, ejusdem vi crudecente, tabescebant, donec tandem absumerentur. Ille ad opem laboranti suo Damnonio ferendam animum admovens, nihil non tentatum voluit, ut novum illud mortis telum obtunderet. Sedulæ meditationi intentus, nec experimentis parcens, exploratam perspectamque habuit mali indolem, ac certum illud indubitatumque effecit, morbum illum, (eundem prorsus sive cum illo qui in Pictones superiore sæculo grassatus erat, sive cum eo quo Pictores et plumbarii opifices plerumque torquentur), non quidem ex pomaceo immiti et acido nimis usurpato, ut priùs existimatum, sed ex plumbo, in prælis, lacubus, cæteris ve apparatus pomaceo conficiendo aut fervando necessariis partibus, aut ad ipsum potum medicandum adhibito, derivari.

NON illum fugiebat, talem morbi causam impugnari non posse, quin malevolorum quorundam linguas in se acueret; aut incitæ plebis, à consuetis vel pravis ut abstineat vix suadendæ, stolidas excitaret murmurationes; aut in offensam illorum incurreret, qui rei faciendæ modum etiam illicitum sibi ademptum ægrè patiuntur. At hæc Virum optimum, cui sola rectè factorum conscientia sufficiens est pro rectè factis præmium, à proposito non deterruerunt. Omnes conatus adhibuit, ut damnosa consuetudo tolleretur. Nec perperam. Quod enim operæ in suorum civium salutem impendit, pluribus jam profuit, illis omnibus haud dubiè profuturum, qui noxium morem tutissimæ doctrinæ ab eo traditæ posthabuerint.

ALICUI in illius Viri laudibus desiderandum mihi videretur, nisi pauca adderem de nostri Collegii Pharmacopeia, cùm eo præside, atque imprimis auctore, denuò recognita ac retractata nuperis annis prodierit. Hujus operis ea est laus præcipua, quòd rerum copiam, verbis quàm maximè ad compendium collatis, complectitur.

Quòd si cæteras, quibus hujus Academiæ nomini respondet, tacuero, nihil dispendii vobis fuerit, Socii Doctissimi, quùm illas elegantissimè expressas habeatis, in præfatione, quam eidem operi præfigendam scripsit Vir ille meritissimus, et quam ut egregium Latini Sermonis exemplar habendam esse, nemo bonarum literarum peritus negaverit.

ERGO nunquam defuerunt ex hâc Academiâ multi, qui acceptam à majoribus gloriæ hæreditatem posteris suis transmitterent. Nostrium est, Doctissimi Socii, illam intactam tueri, imò auctiorem succrescenti ætati tradere. Diù est cùm gloriatur Britannia, et optimo quidem jure, non tantùm, se solam, maris, quaquà patet, imperio potiri; sed nullibi adeò scitè ac à suis alumniis cœli meatus describi, et nova surgentia fidera dici; sed et suos se habere Machaonas et Podalyrios, cæteris ferè omnibus præstantiores. Nostrium est, charissimæ Patriæ hanc ultimam quoque laudem illibatam servare. Meminisse debemus, tantò majorem curam sollicitudinemque à nobis requirere artem quam excolimus, quantò majores utilitates, ex illâ, cives nostri expectant.

expectant. Stat Collegium nostrum legum auctoritate firmatum, opibus modicis locupletatum, immunitatibus honestatum; nec profectò deceret, nec æquum esset nos segnes esse et remissos in iis servandis, quæ non tam nostra sunt, quàm fidei nostræ commissa.

SED quamobrem hæc vos moneo, Doctissimi Collegæ? An oblitus sum, plurima, nostris diebus, ex Academiâ vestrâ, scripta prodiisse, undè nova in rem medicam incrementa processerunt? Et verè dici posse, vos faci à præeuntibus porrectæ vividiores flammæ jam ministrasse? An oblitus sum, vos ea omnia præstitisse, quæ à viris probis, doctis, atque liberè eductis expectanda erant et optanda? Pergite igitur ut cœpistis, neque unquàm fiat, ut aut Collegium vestrum florere definat, aut successores vobis non contingant vestrûm similes. Vestræ diligentia, vestris conatibus diligentiam haud absimilem concordisque conatus suos addet Vir ille meritissimus, qui rerum nostrarum magistratum nunc tenet, cujusque, in illis administrandis, studii pignora nobis sunt, ipsius ergà omnes pru-

dentia et sapientia, ergà nos autem, amor et benevolentia singularis.

VOBIS autem, Doctissimi Socii, fausta omnia et prospera ardentissimè optamus et precamur. Vigeant inter vos concordia, amicitia, et suavis ille animorum et pectorum consensus, qui, dùm vitam exhilarat, rebus vim, firmitatem, et stabilitatem conciliat. Labores vestros DEUS OPTIMUS MAXIMUS fecundet; vitæque vestra, læta, ac placida delabatur, donec tandem, hoc festo die postea redituro, et ipsi (utinàm ferò!) ab Oratore vobis digno, meritorum præmia obtineatis.

FINIS.